# DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

# QUÆSTIO MEDICA,

## QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS XXIX. JANUARII MDCCXXII.

### M. LUDOVICO-SIMONE EMMEREZ, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

1648

*An ab externis præcipua Peſtis Curatio?*

EST inter ſingulas corporum partes peculiare vinculum, eſt & inter ſingula corpora mirabile commercium, Divinæ Artis ſtupendum opus, fons & origo συμπαθείας, Magnetiſmi, conſenſûs, quo cuncta conſpirant invicem & amico junguntur fœdere. Suos patitur manes quodlibet corpus; Soli eſt ſua periodica affectio, ſua aëri, ſua terræ, mineralibus & plantis, ſua homini & brutis. Quot effectus, tot mutationes; harumce quarumlibet virtus aut vitium à majori vel minori unius corporis cum aliis neceſſitudine metienda: magna ideo eſt aëris viciſſitudinum inſtabiliſque conditionis habenda ratio: ipſe accipit ab omnibus, cunctis idem largitur: omnia nutrit aër, ex omnibus nutritur, vegetat, increſcit, marceſcit, languet, deficit; nati indè morbi ἐνδήμιοι, ἐπιδημικοὶ, maligni, inconſtantes, & qui ſolitis reſiſtant remediis. Vulgatior aëris morbus, peſtis eſt: quaſcumque obſidet regiones, quaſdam tamen magis infeſtat; modò in ſegetes, modò in arbores, nunc in bruta, nunc in homines ſævit truculenter. Abdita rerum negligatur cauſa; veſana hæc inquiſitio, inutiliſque labor: in omnia quæ produci debent, aut in ea quæ deficiunt vel pereunt per quaſdam anni tempeſtates, convertantur oculi: ſi ſit annonæ penuria, fructuum inopia, ſi meſſis areſcat, deſideretur proles, ſi Natura ſuos condat theſauros; tunc plerumque accuſanda aëris lues, quædamque peſtis ſpecies. Plurimos & diſcrepantes parit effectus morbus iſte aëris pro plagarum & tempeſtatum diſcrimine. Doloſa peſtis occultâ, ſubitâ, densâ morte ſæpè graſſatur; non ſolis bubonibus circa axillas & inguina, non anthracibus tantùm deſævit; ſæpiſſimè brevi moriturum maculæ purpureo-violaceæ defœdant corpus, exedunt variolæ, febris maligna conſumit, ſudor colliquat ſanguineus, δυσεντερία exhaurit. In causâ peſtis antecedente ſuſpendendâ, mitigandâ, cicurandâ vertitur totius curationis cardo. Hoſtis extùs oppugnat, extùs debellandus; efficaciùs eum profligabit apta, ſagax, & idonea rerum non-naturalium externarumque comparatio; hoc Medicus verum ac ferè unicum peſtis ducat eſſe remedium.

SI crebriùs oriretur peſtis, ei aſſueſcerent homines: ubi neceſſaria, & inevitabilis eſt contagii materies; quid juvat timor? Ancipites & dubii ſunt ejuſdem effectus; quid prodeſt deſperatio? Ubi major luctus, timor acrior, tumultus vehementior, trepidatio violentior; ibi incertior ægrotantium cura, mors citior, ad ſanos morbi peſtilentialis celerior acceſſio, ejuſdem progreſſus major, indoles malignior. Sæviente peſte, eſto tranquilla mens, ſolitis exercitiis & laboribus indulgeto; nihil violentum, niſi breviſſimo ſit impetu, adhibeto. Repugnantes pertinaciùs impugnat victrix lues. Venæ ſectionis, purgationis maximum eſt in Arte Medicâ momentum; illa naturæ, hæc Medici manus: cui horumce remediorum virtus magis nota eſt, huic major ſit commendatio. Frequentior plethora, rarior cacochymia, frequentior indè ſanguinis miſſio, rarior catharſis. Solâ ſæpè venæ ſectione uteretur Medicus, niſi, quominùs principiis morborum obſtetur, impediat obſcura ipſiuſmet mali origo, & ægrotantis repugnantia; nata indè crebra purgationis neceſſitas, quæ anteà fuiſſet inutilis & nociva. Horumce tamen remediorum in peſte Maſſilienſi non maxima deprehenſa virtus: vix ſemel aut bis venam ſecare datum eſt: vix mitiora potuêre adhiberi purgantia; fortiora quælibet fuêre perniciosa: nec felicius fuit, quod hodiè laudant, multiformis præſtantiæ Kermes minerale, inſidum forſan, quod à cucullato Pharmacopolâ non fuerit unicuique ægroto miniſtratum. Remedia quæ intùs uſurpata fuêre, Bezoardica, Diaphoretica Theriacalia, Narcotica, plus damni quàm emolumenti attulêre. Efficax verò fuit Kinæ-κinæ uſus, ſapienti & modicâ copiâ adhibitus; non ut materiam morbificam debellaturus, (quæ remediis cedit externis, aut externè ſemetipsâ curatur,) ſed tanquam optimum στομαχικὸν & aſtringens, fatiſcentes ventriculi vires reſtaurans, vitiati humoris præcopiâ in ventriculum depluentis acrimoniam retundens, chylum laudabiliorem efficiens, primarum viarum ſanitatem conſervans aut labem impediens: ſic major in peſte ſpes affulſit curationi. Peſtiferos ſanaturus veniat; cui Religionis donum eſt, cui mens excelſa, robuſtumque ac vegetum corpus; ſit Medicus ille ingenioſus, promtus in judicando, in curando prudens, in obſervando diligentiſſimus; quærat & fingat medicamenta, multa medeatur, longè plura promittat; in arte ſuâ verſatiſſimus, in aliis diſciplinis non rudis aut novus videatur; omnia ad hominis conſervationem nata parataque eſſe ex operibus ſuis demonſtret; ſit Dux, ſit Prætor, imò cum Regibus ipſis imperet, ſubditum ſe legi non oblitus.

IN morbis cùm benignis tùm malignis expectatio magnum ſæpè fuit remedium. Crimen nunquam cunctanti Medico impeditæ κρίσεως aut ſymptomaticæ cujuſlibet evacuationis: utraque ægrè admodùm ab internis medicamentis promoveti, ab iiſdem coerceri facillimè poteſt. In peſte à remediis intùs adhibendis avertunt Medicum indicationis abſentia, multiplicitas aut confuſio, virium in ægro ſubita funeſtaque proſtratio. Non evagari debet Medicus, modò hoc, modò illud propinans; imperita ſtoliditas per omne remedii genus oberrat. *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia;* nomine extremi remedii intelligenda venit exquiſita admodùm diæta, id eſt, exacta victûs inſtitutio omnes res non-naturales & externas complectens. Ad reficiendos ægros quotidiè ſub finem morborum præſcribuntur, quæ vocant cardiaca, medicamenta: hiſce præcipitantur ægri, & qui peſte cruciantur, maximè: iſtis volatilibus pharmacis augentur criſpaturæ, ἐρεθισμοὶ, ſolidorum vibrationes, reſiduum tollitur liquidi momentum, corruat neceſſe eſt æquilibrium, lethales properantur μεταστάσεις, magis ac magis alkaleſcunt humores ac corrumpuntur, celeriùs indè pereunt ægrotantes, imò certiùs, quam ii, qui naturæ viribus morbique genio fuerint derelicti. Vult deficere natura, ipſa deficit medicina, ſolum deficere pudet Medicum, quaſi ipſomet ſupremo Numine potentior debeat eſſe. Ferietur ergo Medicus, nec ideò erit otioſus ac inutilis: temperet ab ingeſtis medicaminibus; aliud eſt tempus, alia ſit cura: caveat ne ægrotans pharmaca cupiat ac poſtulet; deſiderium excipiunt anxietas, deſperatio, perturbatio mentis, haud exigua peſtis irritamenta. In hiſce temporum anguſtiis ac calamitatibus ſecretorum radix eſt imaginatio, confidentia, & in univerſum quælibet paſſio quam imprimere debet Medicus. Oportet infirmo ſalutem polliceri, nec unquam à ſpe depellere, licèt ipſe deſperet; bona confidentia & ſpes plus valent quàm Medicina. Probet Medicus ſe hominem noſſe, non tantùm quòad corporis mirabilem texturam, ſed etiam quòad infinitas animæ virtutes: curet de mundandis ſedulo ægrotantibus de ſpecie, quantitate, tempore, facilitate alimentorum, de removendis quibuſcunque nocivis ac triſtibus objectis, de promptâ, occultâ, magiſque opportunâ ſepeliendorum cadaverum ratione, de aëre corrigendo, aut de viribus Medicis ipſi conciliandis. Præſtet ita ſuam operam, ſicque omnia dirigat, ut privatarum unicuique ordini legum tenor ſervetur & ἐνέργεια, præcipuaque habeatur ratio externorum ritè comparandorum: ea ſunt, vel ſanis ac peſte laborantibus communia, vel utriſque propria.

AEGROS & ſanos in unâ regione degentes maximè reſpiciunt externâ duo, aër & alimentum; ambo invicem reciproca, ità ut alterius vitia ab alterius ſanâ conditione poſſint emendari: corpori aëris labes communicatur, aëri inuritur lues ex impuris, aut malè elaboratis evacuationibus cùm ſenſibilibus tùm inſenſibilibus. Videat Medicus an peſtis ab aëre, an ab alimento: præter aërem ac cibos eſt aliquid tenuiſſimum nec ullo ſenſu aſſequendum, in quo contagium: at ſi ſanus conſervetur aër, ſi tempeſtati & incolarum naturæ accomodetur victus; lues contagioſa plures intactos relinquet, ſaltem faciliùs deſeret, quos attigerit. Malignitas in externo mole tenuiſſimâ donato præprimìs continetur. Tempore peſtis, utilior adjectio, quàm detractio. At enim, *impura corpora quò magis nutries, eò magis lædes.* Verùm impuritas, alia ab humorum turgeſcentiâ, infarctu, nimiâ copiâ, alia ab humoribus vappidis, ſolidorum vibrationi celeriùs cedentibus, συγκοπώδης, λειποθυμίας, peſtis febriumque malignarum ſymptomata pariens: illi tenuis expedit victus, huic plenior diæta. Ex nimio calore evadit aër tenuior, fit acris & veluti mordax: hinc ſæpiùs torridas peſtis invadit plagas. Tenuitas iſta emendatur herbis refrigerantibus per cubicula ſtratis, arboribus per vicos & urbes combuſtis, iis potiſſimè quæ ſucco aquoſiore turgentes pauciorem reſinam & rariùs aroma exhalant. Aër Maſſilienſis, Canonicenſis, Mariologenſis, odoriferis Thymi, Serpilli, aliorumque effluviis naturâ ſuffitus, nec minùs peſte devaſtatus. Irrigentur quotidiè lymphis viæ, emporia, plateæ, contubernia, domus ægrorum. In aërem tenuem procliviùs ſerpit quælibet impuritas. Si quid recens corruptum, citò removeatur; ſi dudùm coacervatum, fugiant Incolæ. Dùm ſævit peſtis, ne deſint cibus, panis & caro; horum quam viliſſima reddatur annona; ſi deſint, ad ſuppeditandos commeatus vicinæ cogantur Urbes; frumentum ſi deſit omninò, neceſſaria alimenta parentur ex orizâ, avenâ, piſtaciis, amygdalis, caſtaneis, avellanis. Nulla pars ex animali contemnatur: eſt ſua parandorum in cibos interaneorum ratio; alimenta ex ebore, cornu cervino, oſſibus parabilia, ne negligantur. Sic creſcet alimoniæ copia, ſic minor in Urbe ſollicitudo, ſic optimè ſanis & ægris erit à Medico conſultum.

PRÆTEREA alia ſunt externa propria ſanis, alia peſtiferis. Illa ſpectant προφυλαξιν, θεραπείαν iſta. Ut ſervetur peſtilenti tempore ſanitas, ex Arte Medico-prætoriâ plurima præcepta eruuntur: Ars Medico-chirurgica ſuppeditat multa, ut læſa reſtituatur. Civilis adminiſtrationis prima lex eſto, ut ſani ab ægris ſecedant; ſit fuga, abſit trepidatio; initio morbus graſſans prudenter timetur: ex levi conjecturâ quælibet cautio ſapiens, incumbente jam morbo & inoliro plerumque inutilis. Ut ſegregatio fiat ſine tumultu, inſpiciat Medicus Urbis ſitum, magnitudinem, populi frequentiam, tempeſtatem, ſanorum ægrorumque multitudinem. Hyeme, ſpatioſâ Urbe, quæ primùm pars ſenſerit contagium, in eam ex toto Oppido contrudantur peſtiferi, intacti arceantur: anguſto Oppido, & referto plebeculâ quæ mercalibus operis ſibi victum parat, conſtruatur extra Urbem νοσοκομεῖον. At ſudo Cœlo, patente agro qui ſit amænus, vaſtus, planus, vicinus flumini, commodè velut caſtris poſitis tabernacula mobilia ſtatuantur, texta ex cannabe, quovis die latice aqueo madefacienda: hac Arte æger mundior, curatu facilior, aër purior, contagium languidius, aut nullum; fato functorum ſepultura obſcurior, celerior, expeditior. Hodiernam peſtem ex tenſione fibrarum inſolitâ natam arguunt, ſymptomata medicaminibus emollientibus & ſuppurantibus cedere docilia, & immunitas à peſte hominum ſtrumoſorum ac ſcorbuticorum, quos nimia laxitas tutata eſt. Totus eſto Medicus in ſanandis bubonibus & anthracibus, in præcavendis ſphacelo & gangrænâ, tumores iſtos facilè excipientibus. Reddito facilem ægro reſpirationem; ea maximè efficit & liquorum circuitum & humoris vitioſi expulſionem, ea ægros ad ſanitatem comparat & adverſùs recidivas priore morbo pejores: ducatur criticè, quod fuit ſymptomaticè protruſum. Pars ægra, ſi vel humore turgida, vel exeſa, indicat ſcarificationes, cauteria, topica volatilia-camphorata; quæ ſubjacet minùs morboſa pars, maturantia, anodyna, digerentia, ſuppurantia poſtulat. Juvat itaque utrumque ſimul applicatum remedii genus. Major butyri ex antimonio comperta vis quàm vitrioli externè appoſiti. Siccas & præcipites tumorum ſectiones excepêre gangrena, ſphacelus. Sectis imprudenter venæ cruralis ramis lateralibus, αἱμοῤῥαγία multos ſuſtulit. Statim excitanda fuit, ut promptiùs inſtitueretur, ab avulſo aut uſto tumore ſuppuratio: unica hæc ferè morbi ſolutio, per quam nondum hærens vitioſa materies ſenſim eliminabatur. Ad peſtem igitur debellandam potentiora remedia præbet Ars Medico-chirurgica, ſed ea externa, quæ tamen vix agunt, niſi ritè parentur, quæ hominem vel afficiunt, vel contingunt, vel ſubeunt.

*Ergo ab externis præcipua Peſtis Curatio.*

Domini Doctores diſputaturi.

*M. Jacobus-Philippus Davier de Breville.*
*M. Jacobus Trant.*
*M. Petrus Maloet, Regis Conſiliarius & Medicus, nec-non Domûs Regiæ Invalidorum Militum ordinarius.*

*M. Ludovicus-Simon Emmerez, Actûs Præſes.*
*M. Joannes-Baptiſta Mongin, Scholarum Profeſſor & Medicus Regis ordinarius.*
*M. Alexander le François.*

*M. Petrus Azevedo.*
*M. Joannes Herment, utriuſque Alæ Equeſtris, necnon Regis Medicus ordinarius.*
*M. Stephanus-Franciſcus Geoffroy, Regiæ Scientiarum Academiæ Pariſienſis, Regiæque Societatis Londinenſis Socius & Regius Profeſſor.*

BIBLIOTHEQUE

Proponebat Pariſiis JACOBUS-JULIANUS CARREL, Conſtantienſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1722. à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.